

# **Annotationes ad Tibullum.**

Scripsit

**Hermannus Graef.**

# Thermodynamics of Tumuli

by  
Hans-Joachim Grön

quamquam nec de critica elegiarum Tibulli condicione in universum disputare nec de reconditis artis Tibullianae subtilitatibus verba facere mihi proposui, tamen, priusquam ad quosdam huius poetae locos descendam pertractandos, pauca proferam de elegiae IV, 6 compositione. Unus enim eorum, qui non solum latine, sed etiam, ut Gruppius poscit, poetice sciunt, Carolus Prienius, quem egregie exponat (Jahrb. 1861 pag. 149) qua arte Tibullus in adornandis Sulpiciae elegiis usus sit, tamen in disponendis huius carminis versibus erravisse mihi videtur. Ita enim versus distinguit Prienius, ut exordio duo disticha concedat, argumento reliqua tribuat disticha, hac usus imagine:

exord:  $A$  (2 dist.); argum.  $B$  4 (2 + 2) dist.  $\alpha + \beta \cong B'$  4 (2 + 2) dist.  $\beta' + \alpha'$   
tum vero neglecta codicum auctoritate versibus

Adnue purpureaque veni perlucida palla:

Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero

in fine elegiae collocatis elegantius eam concludat. Sed quum haec, quam sibi finxit, elegantia nulla est — nisi forte Juno libo meroque placanda elegantiorum carminis exitum efficiat ea Junone, quae a poeta rogata, ut

veniet quum proximus annus

Hic idem votis iam vetus adsit amor

commodissimum ad postremum deinceps carmen II., 2 transitum erat praebitura — tum, sive cum Lachmanno v. 19 legeris Si iuveni grata sive Gruppii lectionem Sis, Juno, grata nuper a Drenckhahnio (Progr. Putbus. 1862) contra ipsum huius emendationis auctorem merito defensam tueris, hoc quidem constat, quater invocari Junonem, et inde petendam esse huius elegiac dispositionem. Hoc igitur modo poeta singula disticha sese excipere voluit, ut quatuor illae Junonis obtestationes binorum distichorum ad Sulpiciae amorem spectantium intervallo distinerentur; hanc vero distichorum distinctionem structurae carminis IV., 5 a Prienio ceterum recte explicatae respondere eo facilius crediderim, quod poeta illic Apollinem, hic Junonem simili oblata occasione rogat auxilium. Quod si verum est, nec turbatur distichorum ordo, et haec nascitur simplex illa quidem sed ad gravitatem argumenti optime accommodata versuum figura:

$A' (\alpha + \beta) \cong A'' (\alpha' + \beta') \cong A''' (\alpha'' + \beta'') \cong A''''$ .

Natalis Juno, sanctos cape turis acervos,

Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Tota tibi est hodie, tibi se laetissime compsit,

Staret ut ante tuos conspicienda focos.

Illa quidem ornandi causas tibi, diva, relegat:

Est tamen, occulite cui placuisse velit.

At tu, sancta, fave, neu quis divellat amantes,  
Sed iuveni quaeso mutua vincla para.  
Sic bene compones: ulli non ille puellae  
Servire aut cuiquam dignior illa viro.  
Nec possit cupidos vigilans deprendere custos,  
Fallendique vias mille ministret Amor.  
Annue purpureaque veni perlucida palla:  
Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero.  
Praecipiat natae mater studiosa, quod optet:  
Illa aliud tacita clam sibi mente rogat.  
Uritur, ut celeres urunt altaria flammae,  
Nec, liceat quamvis, sana fuisse velit.  
Sis, Juno, grata: ac veniet quum proximus annus,  
Hic idem votis iam vetus adsit amor.

Cur Lucretianum illud, non Tibullianum ulla e mutaverim et Drenckhahnii Heinsii Gruppii emendationes — praecipiat — clam sibi — Sis, Juno, grata — in textum receperim, alio loco rationem reddam; nunc ad elegiam I., 1 transeo.

I., 1, 2. Quaerendum est, num Lachmannus recte praebeat multa, quum codicum auctoritas magis faveat lectioni magna. Atqui perspici non potest, unde lectio magna oriunda fuisse, si archetypus habuisset multa; librarios vero excerptorum auctores, qui iugeronum apud Romanos magnitudinem semper eandem fuisse non ignorabant, attributo magna, quippe quo iugera illa male definiri viderentur, offensos esse non miraberis. Vulpius Santenius Vossius Bachius Jahnii hanc lectionem magna defenderunt, nec minus Haasius, quem de hac re Vratislaviae aestate anni 1846 copiose disputavisse video ex manuscripto collegae cuiusdam, qui illis Haasii scholis adfuit. Affert insuper Haasius ad demonstrandum hunc usum exempla ex Horatio petita — immetata iugera — magnae legiones — et e Virgilio — magna talenta; sed his eo minus opus fuit, quod quinque illi Lachmanni mss., quibus excerpta et Frisingensia et Scaligeriana multo minore sunt auctoritate, omnes exhibent magna. Poetam vero non decebat hoc loco numerare iugera, id quod fecit suo iure auctor libri III., 3, 5.

Aut ut multa mei renovarent iugera tauri  
sed latifundium spectare iugeronum sive agrorum magnitudine confectum. Itaque dubitari non potest, quin genuina lectio haec sit:

Et teneat culti iugera magna soli.

I., 1, 6. Wunderlichius ad hunc locum Slothouveri coniecturam

Mi mea paupertas vitam traducat inertem  
refutat (fortasse, si ille scripsit me, id quod nescio, typographi errore deceptus; nam lectio mi a Tibullo prorsus aliena esset); sed si Slothouverus conieciisset:

Me mea paupertas vitam traducat inertem  
omnem sublatus erat difficultatem. Neque enim quod Lachmannus omnium fere librorum concentu ductus dedit vitae inertii nec quod Vincentius Bellovacensis cum 2do Guelferbytano conspirans exhibit vita ad grammaticae interpretationis leges revocari potest. Nam quis, quaeso, unquam ad verba traducendi vel transmittendi ita apposuit casum dativum aut adeo ablativum, ut his casibus metam illo motu appetendam significari putaret? Recte igitur Haasius, cui assentior, conieciisse videtur:

Me mea paupertas vitam traducat inertem.

Quam facile ex codd. scriptura VITA ~ sive VITA, fieri potuerit VITAE vel VITA,

neminem fugit. Quemadmodum vero dux milites suos flumen traducit, ita Tibullus eadem constructione verborum usus optat, ut paupertas, quam ducem sequatur, se traducat vitam inertem.

I, 1, 25. Omnes eas coniecturas, quibus hic locus adhuc vexatus est, diligenter enumerauit initio illius programmatis, quod supra citavi, Drenckhahnii; sed ea, in qua ipse acquievit,

Jam modulo possum contentus vivere parvo  
longissime et a codicum lectione et a Tibulli abhorret elegantia. Praecedunt enim hi versus:

Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes

Clamet 'io messes et bona vina date'

Sed si constat, Tibulli carmina tam molli fluere numero, ut  
per leve severos

Effundat iunctura unguis,

quis poetam ab agna Laribus immolanda ad modulum istum parvum transiluisse putet, quo nunquam ceteroquin usus est? Accedit quod Disseniis, cui haec coniectura displicet, recte desiderat genetivum agri, male ille quidem refutatus a Drenckhahno, qui modulum illum attributo agri definiendum fuisse nequicquam negat et modulo illo parvo idem significari opinatur atque parvo substantive posito. Evidem servans codicum d et e Lachmanni lectionem duobus litterulis mutatis et deleta post date interpunctione sic Tibullum scripsisse coniicio:

Dummodo nunc possim contentus vivere parvo  
ita quidem, ut hunc versum arctissime coniungam cum verbis antecedentibus

Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes

Clamet 'io messes et bona vina date',

Dummodo nunc possim contentus vivere parvo

Nec semper longae deditus esse viae.

Tibullus igitur, quamvis ad paupertatem redactus, tamen, quae est eius pietas, hanc ipsam agnam Laribus cadere iubet, dummodo nunc saltem parvo contentus vivere et belli laboribus liber esse possit. Talem vero condicionem particulis dum vel dummodo restrictam ut saepe apud Tibullum, ita in hac elegia bis invenimus

v. 5. Me mea paupertas vitam traducat inertem,

Dum meus assiduo luceat igne focus.

v. 58. Non ego laudari curo, mea Delia: tecum

Dummodo sim, quaeo segnis inersque vocer.

I, 1, 44 mss. ineptam habent lectionem scilicet, unde Lachmannus corredit silicet; sed quominus hac otii licentia uteretur, quid impedire poterat Tibullum? Cogitari quidem posset de laboribus agrestibus, quibus absolutis otio frui lectoque requiescere poetae liceret; sed hanc licentiam ex aliqua condicione pependisse nusquam significavit, itaque eum ad liberum potius animi arbitrium spectantem scripsisse crediderim 'Si libet'. Ac si quis dixerit, falsa me verborum constructione usum esse, Tibullum autem hoc voluisse, ut satis sibi esse contendat, si liceat requiescere et membra levare, ita quidem, ut uterque infinitivus pendeat ex illa condicione 'si licet': equidem mihi persuadere non possum, poetam, quem unius versus partes chiasitice inter se opponere soleat, hic tam mala usum esse concinnitate, ut requiem illam segeti respondentem ex verbis sequentis demum versus 'si licet' pendere voluerit. Itaque malim legere:

Parva seges satis est; satis est requiescere lecto,

Si libet, et solito membra levare toro.

I, 1, 67. Tu Manes ne laede meos si scripsit Tibullus, Deliae luctum opposuit lacrimis iuvenum et virginum; sed nonne rectius initio huius versus ad tempus sepulturae illius commenticiae respicere debebat? Facillime vero ante sequentem litteram M eadem littera excidere poterat; itaque coniicio: Tum Manes ne laede meos; tum scilicet, quem suprema mihi,

quam finxi, hora venerit. Eadem particula tum saepius poeta usus est, ubi rem ad discrimen vocat, ut pulcherrimo illo loco 1, 3, 89: tum veniam subito. Tum si hic legimus, melior praeterea sententiarum conexus oritur cum versibus qui sequuntur. Nam amori, quo, dum fata sinunt, perfri licebat opponi non poterat Delia ipsa, sed luctus Deliae; subest igitur discrimen non personarum, sed rerum et temporum.

I, 1, 72. Ea quae adhuc de forma capiti ab editoribus prolata sunt, Drenckhahnus collegit. Dubitari non potest, quin lectio Lachmanni capiti codicum auctoritate multo melius confirmetur quam lectio capite. Plurimi huius formae interpretes eam pro ablativo habuerunt; Disseniens eandem tuerit sententiam, quamquam illam formam rectius Catullo quam Tibullo tribuendam esse non ignorat. Drenckhahnus, qui eam dativum esse contendit, eam affert explicationem, ut Tibullum Deliae, Deliamque Tibullo blanditias dixisse sibi fingat. Sed num credi potest, caput hoc loco partis pro toto instar de utraque persona usurpatum esse? Utrum capiti blanditiae dicuntur an homini? Accedit quod, ut Haasius recte monet, hanc formam capite cano in proverbii usum venisse permultis docemur exemplis, ut apud Plautum Merc. 2, 2, 34 tunc capite cano amas? Asinaria 5, 2, 84, Casina 3, 1, 4. Inde apparet, capite cano, ubique invenitur, pro ablativo habendum, eandemque formam hic quoque scribendam esse, quod Tibullum ista inveterata forma usurum fuisse credi non potest. Capiti nisi librarii alicuius errore, ea certe opinione ortum est, in fine pentametri longa opus esse syllaba, id quod falsum esse et Tibulli, et multorum aliorum poetarum consuetudine facile refutari potest. Scribendum igitur hic quoque est: cano capite.

I, 3, 49 Rossbachii temeritatem, qui, quum Lachmanni annotationem criticam huic versui subscriptam male intellegere, in lectionum diversitate editioni Teubneriana praemissa scripsit 'At correi, et libri, nunc Ital' nescio quis in Museo Rhenano 1864 pag. 141 merito vituperavit. Recte vero Lachmannus libros secutus optimos genuinam lectionem in textum recepit

Nunc Jove sub domino caedes et vulnera semper,

Nunc mare, nunc leti mille repente viae.

Itali quidem non initio versus, ut R. opinatur, habent nunc, sed quum ἔταραφογᾶς exemplum hoc loco deprehendisse sibi viderentur, male correxerant 'Nunc Jove sub domino caedes, nunc vulnera semper. Hac vero figura Tibullus uti non poterat quod caedibus et vulneribus effici volebat ἐν διὰ δύοις, et haec demum notionum compositio ei, quae sequitur, notioni maris erat opponenda ut alteri mortis causae.

I, 10, 5. Lachmannus, quem sequitur Rossbachius, scripsit

'An nihil ille miser meruit?

Quae lectio, quamvis librorum optimorum auctoritate muniatur, tamen ut falsa et a Tibulli consilio aliena reiicienda est. Nam si Tibullus illam sententiam ita exprimeret, ut interrogatione uteatur, nimis miser illius telorum inventoris culpam in dubitationem vocaret. Hic vero locus erat certae et omni dubitatione expeditae affirmationis. Retinenda igitur est optima illa et ante Lachmannum omnibus editoribus probata lectio 'at nihil ille miser meruit'.

I, 10, 11. Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem

Arma nec audissem corde micante tubam.

Sic libri omnes. Sed de genitivo illo vulgi interpretando viri docti summopere inter se discrepant. Lachmannum, quum post verbum foret interpungat, tristia arma vulgi construxisse necesse est; et iam ante eum Vossius de armis cogitavit, quibus vulgus uti solet, armaque illa vulgi opposuit tubae militari. Sed has res a poeta ita distingui potuisse nemo sibi persuadebit. Accedit quod particula nec, quam Vossius et omnes fere interpretes genitivum illum sequi iubent, apud Tibullum nisi verbo antecedente, quatenus equidem observavi, semper primum sententiae locum tenet. Neque vero Haasio assentiri possum, qui, quum post genitivum vulgi interpungat, de

vita vulgi poetam loqui putat; nam etiamsi ad vitam rusticam Tibullus descendere solet, tamen nunquam delapsus est in vitam vulgi. Itaque nihil restare videtur, quam ut in Heinsii coniectura dulcis acquiescamus, qua omnis huius loci expeditur difficultas. Heinsium si sequimur, nunc demum habemus praedictati notionem integrum 'tunc mihi vita foret dulcis', et partes versus, si quid in auribus est iudicii, optime ad sententiae *zōλα* revocantur, quum caesura non solum versum, sed etiam sententias inter se disiungat:

Tunc mihi vita foret dulcis | nec tristia nossem  
Arma | nec audissem corde micante tubam.

I., 10, 25. 26. Copiosius de hoc disticho nuper disputaverunt Kindscherus in Museo Rhenano 1862 p. 149 seqq. eumque secutus Kornius M. Rh. 1865 p. 167 seqq. Inter hexametrum  
At nobis aerata, Lares, depellite tela, et pentametrum

Hostiaque e plena rustica porcus hara

lacunam uterque statuit; alter Pontanum imitatus eam versibus, quos ipse fecit, explevit; alter adhibita simili post versum quinquagesimum lacuna ansam inde depropmsit archetypi ipsius Tibulliani, qualis fuerit, describendi et versibus ad singulas paginas revocatis distinguendi. Evidem illo loco lacunam intercedere non intelligo. Hoc quidem Kindschero concedo, versus supra citatos non ita construendos esse, ut et Lares et porcus a poeta invocentur, quasi porcus esse possit vocativus; sed si Puccii emendatio hostia erit propter elisionem in thesi minus placet, scribi potest levi facta litterarum mutatione: hostia sit plena rustica porcus hara. Tibullus, ut fas est, Laribus, si se tueantur, porcum pollicetur ut debitam pro salute sua hostiam. Terminativum vobis aequo supplendum est atque I., 1, 34 et multis aliis locis; sed ut haec quoque, si qua est, difficultas tollatur, hoc proposuerim: Postque cadet plena rustica porcus hara. Eodem ceterum versus initio Postque poeta in fine elegiae primae libri secundi usus est: Postque venit tacito seqq. Hoc quidem crediderim, ad lacunas in Tibulli carminibus notandas tum demum recurrentum esse, si alia corruptelae reperiri non potuerit medela.

v. 50 eiusdem carminis aliter res sese habet. Quod Kindscherus et Kornius hic quoque in lacunam inciderunt, culpa est Hauptii, qui male iis facem praetulit. Optime vero his versibus medicas applicuisse manus Drenckhahnus mihi videtur p. 6 illius programmatis, quod supra citavi. Hic postquam Haarium refutavit, qui huius elegiae versus inde a quinquagesimo ei, quae sequitur, elegiae addere voluerat, distichon illud, quo omnes adhuc viri docti vexati erant:

Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,

Uxorem plaustro progeniemque domum

ut spurium et ab aliquo librario adscriptum e textu eiecit, qua felicissima emendatione hanc elegiam in pristinum nitorem restituit. Nunc demum poeta tristibus militis armis festivissimo ingenii lusu opponit bella amatoria, quae oppositio, ut Drenckhahnus recte monuit, iterum adhibetur v. 65

scutumque sudemque

Is gerat et miti sit procul a Venere.

Fortasse, ne duplex fiat oppositio, poeta hoc modo scripsit:

Pace bidens vomerque vigent, et tristia duri

Militis in tenebris occupat arma situs:

Sed Veneris tunc bella calent seqq.

II., 1. Haec elegia ceterum integra unum continet distichon pentametro mutilum v. 57

Huic datus a pleno, memorabile munus, ovili

\*Dux pecoris . . . . .

Praecedunt distichorum paria vocabulorum certorum repetitionibus significata ut v. 39 illi — illi, 43 tunc — tunc, 47 rura — rure, 51 agricola, cui 55 demum respondet agricola; tum 61

rure — rure. Haec compositionis aequabilitas deletur vv. 53, 54 et 57, 58. Illi disticho, quod responcionem tollit, praecedunt hi versus

Agricola assiduo primum satiatus aratro

Cantavit certo rustica verba pede.

Quod sequitur distichon: Et satur arenti primum est modulatus avena

Carmen ut ornatos diceret ante deos

equidem spurium esse existimo. Nam quum id distichon, quod praecedit, carminum bucolicorum, et quod sequitur: Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti

Primus inexperta duxit ab arte choros

dramaticorum initia describat, hoc distichon miserum in modum claudicare videtur. Ac primum quidem novae alicuius artis origo non repraesentatur; nam ne de artis musicae inventione cogitemus, vetamur verbis 'ut ornatos diceret ante deos'; tum illud satur male resonat id quod modo antecessit satiatus; sed quum notio haec verbis assiduo aratro iuxta positis optime ad labores agrestes revocetur, hoc satur aequa definitione caret. Denique quum priore disticho agricultura animi recreandi causa cantet, hic ventris satietate ad carminis sui modulationem et recitationem impellitur, quam ineptiam a Tibullo alienam esse puto. Accedit quod verba modulatus avena originem suam Vergilianam aperte nec sine laudabili quadam auctoris sinceritate p[re]ferunt. Itaque hoc disticho electo non modo nihil turbatur sententiarum ordo, sed ea potius, quam versibus et antecedentibus et sequentibus inesse demonstravi, restituitur responsio. Similiter res sese habet in disticho illo 57, 58. Hoc Italo alicui deberi videtur, qui quum de tragœdia atticae originibus aliquid didicisset, doctae astutiae specimen editurus et de hirci illius stabulo in errore versatus, id quod furibus accidere solet, non in caprile, sed in ovile penetravit, in ipso autem furto deprehensus foeda facinoris sui reliquit vestigia disticho hoc composito. Cui reficiendo viri doctissimi operam dederunt; optimam, ut in tali re, emendationem debemus Hauptio qui librorum scripturam secutus coniecit:

Dux pecoris curtas auxerat hircus opes.

Sed ne ducem pecoris Tibulliani hircum fuisse putemus, monemur disticho quodam decimae in libro primo elegiae:

Non arces, non vallus erat, somnumque petebat

Securus varias dux gregis inter oves; ubi non  
de hirco sed de pastore gregis custode cogitare licet.

v. 65, 66. Quotiescumque hos versus legi (Lachmannum sequor)

Atque aliqua assidue textrix operata Minervae

Cantat et applauso (sic Puccius) tela sonat latere  
offensem me esse fatcor insolita ista apud Tibullum *zazogoniq[ue]*. Siquidem Ennius umbram Polydori haec dicere iubet:

'Adsum atque advenio Acherunte vix, via alta atque ardua'  
argumenti gravitate facile excusat; Tibullo dedecori erat tanta consonantium, tanta elisionum cumulatio. Sed etiamsi haec res levioris esset momenti, tamen sententia ipsa adeo est intricata et contorta, ut difficulter inveniatur explicatio. Drenckhahnus, postquam copiosius hunc locum tractavit et coniecturas omnes enumeravit, ipse hanc profert coniecturam:

Atque aliqua assidue textrix operata Minervam

Cantat seqq.

Mihi quidem verisimile non videtur, Minervam esse titulum carminis ab illa textrice cantati; nam quicunque hunc versum legit, ipso metri iam tenore cogitur, ut Minervam ex participio pendere subaudiat; itaque ut Drenckhahnus talem Minervae pro lanificio positae metonymiam a Tibullo prorsus alienam esse contendat difficultatem ipsam non tollit, nam obiectum, quod requi-

ritnr, operandi e textricis notione petere mihi durius et difficilius esse videtur quam metonymiam illam a Drenckhahnio reiectam Tibullo adscribere. Utut vero res se habet, hoc unum Drenckhahnio oppono, quod poeta non adeo argumenti sui oblivisci potuit, ut textricem istam hoc loco cantare iuberet. Nam quae praecedunt, facile ad eam rem referri possunt, quam sibi proposuerat tractandam; rura canit et quae ex agricultura ad vitam hominum redundaverint beneficia, describit. Hinc, nisi hoc quoque distichon interpolatum est, transit ad laborem femineum, de quo postquam in universum locutus est, inde ad aliquam textricem cantantem poetam transiisse eo minus mihi persuadere possum, quod iam agricolam v. 51 cantantem exhibet, sed iusta illic causa et occasione commodissima. Itaque non dubito, quin Italus aliquis, quem feminas apud Tibullum cantu carere aegre ferret, versibus suis hanc elegiam interpolaverit. Si liceret, distichon etiam 63, 64 e textu eiicere, quo cogitatio antea exposita loquaciter tantummodo circumseribitur, et poetae transitus ab ovibus vellera sua puellarum artificio praebentibus ad greges et armenta, inter quae Cupidinem natum esse fingit, male impeditur, hic fere eveniret sententiarum ordo binorum ubique distichorum, ut iam antea, illustratus:

Agricola assiduo primum satiatus aratro

Cantavit certo rustica verba pede.

Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti

Primus inexperta duxit ab arte choros.

Rure puer verno primum de flore coronam

Fecit et antiquis imposuit Laribus.

Rure etiam teneris curam exhibitura puellis

Molle gerit tergo lucida vellus ovis.

Ipse interque greges interque armenta Cupido

Natus et indomitas dicitur inter equas.

II., 2. Hoc carmen iam ante omnem librorum varietatem a librariis e suo loco motum esse recte vidit Gruppius coque usque ad finem elegiarum Sulpicianarum remoto illi carminum corona pulcherrimum, ut ita dicam, florem inseruit. Quantum ex hac transpositione, quam necessariam esse Prienius quoque intellexit, ad criticam carminum Tibullianorum dispositionem luminis afferatur, facile apparet; nec falli videtur Gruppius, quem ex Cornuti nomine huic elegiae cum insequente communi ordinis turbati causam deducendam esse iudicet. Carmen hoc ipsum, si finem excipias, nec critico neque interpreti ullam praebet difficultatem; contra si qui unquam versus lectionum et emendationum mole obrutus est, vicesimus primus quot continet verba, tot fere exhibit varietates et a librariis et ab emendarioribus confectas. Ac prima iam huius versus vocula omnium fere litterarum vocalium exempla ostendit: *hae — haec — hic — huc*; tum sequuntur: *veniat — veniet — veniat seqq.*; quae omnia collegit Lachmannus. Hic vir doctissimus, quem secutus est Rossbachius, reiectis Heinsii coniecturis *hac — venias — avi* hunc effecit elegiae finem:

Hic veniat Natalis avis prolempque ministret,

Ludat et ante tuos turba novella pedes.

Drenckhahnius Dissenio refutato, qui in Heinsii coniecturis acqueiverat, interpungit post vocem Natalis, et cum Huschkio particula et mutata haec scribit:

Hic veniat Natalis, avis prolempque ministret,

Ludat ut ante tuos turba novella pedes.

Sed ne nunc quidem quem his verbis eliciat Drenckhahnius sensum, utrum hic sit adverbium an pronomen demonstrativum, utrum formam avis ad avum an ad avem revocaverit, utrum Natalem denique alium esse putet atque avem, an Natalem avo eiusque uxori prolem ministrale velit, equidem non intelligo ex verbis eius: 'Avis ist proleptisch gesagt und der begriff des

wortes in den vorhergehenden versen (dum tarda senectus Inducat rugas inficiatque comas) schon angedeutet. Vocem avis igitur pro terminativo habere videtur; sed utrum avis omnibus an Cornuto soli, reticet. Iam vero ista, quam posuit, interpunctio offendit similiter atque in illo quem supra citavi, versu Tibulliano,

Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem

Arma seqq.

Tum in toto versu nihil est sani, nisi verba prolemque ministr . . . Lachmannianus B sequentem versum metro repugnantem habet Et ludat seqq. unde suspicari licebit, syllabam et ex fine antecedentis versus ad pentametri insequentis initium descendisse et sic scribi posse levi facta litterarum mutatione:

. . . . ave, prolemque ministra,

Ludat ut seqq.

Quod si non displiceret, restaret initium hexametri restituendum, in quo versus corruptela latere videtur. Quomodo enim fieri potuerit, ut poeta Genium Natalem iuberet iterum venire, quum versu iam primo elegiae huius eum ad aras venire affirmaret, me nescire fateor; sed versus initium restituere non audeo. Ac nisi iocosa illa imago turbae novellae ante Cornuti pedes ludentis Tibullo propriam resiperet dulcedinem, hoc carmen iam disticho antecedente a poeta finitum fuisse et distichon postremum ab eodem poeta Italo profectum esse putarem, qui elegiae quintae libri secundi hos addidit versus

Annue, sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli,

Sic tua perpetuo sit tibi casta soror

quos Kornius (M. Rh. 1864 p. 503) neque huo pertinere et a Tibullo alienos esse recte contendit. Similiter Hic Natalis nullo modo cum disticho 19. 20 coniungi potest, quod nullo verbo adventus eius adumbratur. Nec si legeremus Sic veniat vel Tum veniat, transitus talis tolerari posset. Neque tamen, ut in loco desperando, iis magnam habeo fidem, quae, ut illud tuos ad Natalem referri posset, conieceram:

Intera, Natalis, ave, prolemque ministra,

Ludat ut ante tuos turba novella pedes.

Sed tum demum, quum hoc distichon e textu eieceris, omnia sese habent optime; tum series oritur binorum distichorum, quae inter se cohaerere poeta iam eo significavit, quod eadem littera, excepto tantummodo primo pari, incipiuntur, quasi dicas alliteratione: Ipse — Illius Annuat — Auguror Nec tibi — Nec tibi Vota — Vincula.

Elegiam II., 3 quam non lacunis sed interpolationibus laborare mihi persuasum habeo, postea transtandam et cum elegia II., 5 comparandam mihi proposui. Nunc ad II., 4 transeo, cuius partes non eodem modo ab interpretibus disiunctas esse video. Wunderlichius septem eas partes, quibus elegiam constare putat, hoc modo inter se disiunxit: 'Cum neque carmina mollia, quibus, ut ad amorem pelliceretur, celebrata erat Nemesis, quidquam profecissent, neque ipse amore, quo erat irretitus, exsolvi, aut dolores amplius tolerare posset, 1—20 quovis facinore, vel sacrilegio dona, quibus illa capiatur, parare apud animum suum constituit. — 26. Huius vero consilii impietate tanta eius commovetur ira, ut modo avaritiae puellarum auctores exsecratur, — 34. modo, ne avarae pulchritudo corporis contingat, optet, — 38. modo diras ei, quae amore habendi teneatur, gravissimas precetur; — 45. qua felicitate puella bono ingenio fruatur, egregie docens. — 50. Nemesis tamen quum unice donis capi posse intellegereret, se hanc legem gravem accepturum esse profitetur, ut animum illius, paternis bonis venditis, pretio expleat, et quoconque onere suscepto sibi conciliet'.

Eadem fere partitione usum esse video Haasium qui hoc tantum a Wunderlichio differt, quod versum corpus inde a primo usque ad vicesimum iterum dividit et servitum, in quo Ti-

bullus se versari dixit 1—12 inani Musarum auxilio 13—20 opponit. In eo uterque nimirum consentit, quod et versu vicesimo et versu quinquagesimo maius aliquod distichorum corpus separatur. Quum vero totum carmen 30 distichis constet, haec nascitur partitio, cui vix quisquam repugnabit: 1—20, 21—50, 51—60. Habemus igitur  $10 + 15 + 5$  disticha. Iam vero Haasio qui distichon sextum (v. 11, 12) ad priora revocat, opposuerim, hos versus, quamvis nondum ad carmina ut sibi inutilia devovenda transierit poeta, tamen arctius cohaerere cum insequentibus, et transitum ipsum a disticho sexto usque ad ea, quae sequuntur, multo minus arduum esse quam inde a quinto ad sextum. Particula enim nunc adhibita Tibullus rem, qualis est, commenticiis opponit conditionibus seque et finem hariolandi facturum et ad rem propositam transiturum pollicetur. Atque quae modo sibi finxit, inania esse quod intellexit, ad tristem, in qua versatur, conditionem sese revocat; itaque rectius iam post quintum distichon novam versuum seriem incipiendam esse contendo. Hoc si verum est, prima carminis pars decem disticha complectens duobus quinorum distichorum corporibus constat. Quod si exordio et exitui quina disticha tribuenda sunt, nunc quomodo viginti illa disticha in medio posita inter se disiungenda sint, quaerendum est.

Qua vero ea quae supersunt disticha inde ab undecimo usque ad vicesimum quintum ratione dividenda sint, non ita facile videtur ad intelligendum. Nam primum quidem sex illa disticha 20—26 ita nimirum inter se cohaerent, ut avarae puellae exsecrationi tria, bonae autem laude afficiendae par distichorum numerus tribuendus sit. Neque aliter priora 11—20 separari inter se possunt, quin distichis 11—14, 14—17, 17—20 minora quaedam versuum corpora ad idem artificium conformata a poeta inter se opponi videantur adhibitis illa quidem particulis at et sed illustrata. Quod si a Tibulli consilio non abhorret, hoc nascitur distichorum paradigma:

$$5 + ((\underline{5}) + \underline{3} + 3 + 3 + \underline{3} + 3) + 5$$

Sed eo mihi progrediendum erit audaciae, ut disticha duo 7. 9 e textu eiiciam. Ac primum quidem d. 7 eo consilio ab aliquo Italo lacunarum investigatore interpolatum esse mihi persuaserim, ut a misera poetae condicione antea exposita commodior eveniret transitus ad versum qui incipit 'Ite procul Musae'. Sed iam ista elegorum et Apollinis carminum auctoris — quorumnam, quaeso — male concinna oppositio offendit; tum vero pentametri sententia a Tibulli verecundia ita abhorret, ut tolerari non possit. Nec minus in dubitationem vocandum est d. 9 quod si scripsisset Tibullus, a proposito aberrans a Musis ad bella canenda, sicut aequum erat, adhibitis ad argumenta a Musis prorsus aliena descendisset. Utrumque igitur distichon, et septimum et nonnum, si a Tibulli consilio abhorret, his electis talem accipimus distichorum trigiam:

Nunc et amara dies, et noctis amarior umbra est;  
Omnia iam tristi tempora felle madent.  
Ite procul, Musae, si nil prodestis amanti;  
Non ego vos, ut sint bella canenda, colo:  
Ad dominam faciles aditus per carmina quaero;  
Ite procul, Musae, si nihil ista valent.

Tum vero quanta partium aequabilitate poeta in distribuendis distichis 6—26 usus sit, haec figura demonstrabit:

$$5 + (\underline{3} + \underline{3} + \underline{3} + \underline{3} + \underline{3} + 3) + 5$$

Quae hoc signi — illustravi, inter se ita cohaerent, ut alter ternorum distichorum fasciculus alteri opponatur:

6—9 Musae nihil mihi prosunt	+ 11—14 At rapina et caedes prosunt.
14—17 Pereat cultus muliebris, avaritiae causa, anxie custoditus	+ 17—20 Sed pretio custodia vinci potest;

pulchritudo autem puellae avarae  
perniciosum est deorum donum.

20—23 Tristis sit avarae mors; nemo eam  
vita defunctam maereat

+ 23—26 Bonae contra puellae mortem om-  
nes deflent memoriaeque eius bene  
dicunt.

Quae de lacunarum Tibulli sanandorum ratione et de archetypi conditione proferre  
mihi proposueram, adhibitis Kindscheri, Kornii, Bubendeyi aliorum studiis, ea in aliud tempus  
differam. Liceat tantummodo mihi unum Catulli locum tractare, qui in mentem mihi venit, quum  
finem quartae elegiae Tibulliana libri primi perlegerem. Carmen enim Catulli septuagesimum  
tertium eo praebet difficultatem, quod pentametri secundi altera pars misere mutila est: Hoc fere  
modo versus legi solet:

Immo etiam taedet, \*stetque magisque magis.

Atque quum alii codices, tum Datanus, quem optimo iure Lachmannus omnibus praetulit,  
metro saltem satisfaciunt, quum praebeant, quae modo scripsimus. Germanensis et Gudianus 2  
neglecto metro 'obestque magisque'; Parisinus 1 'estque magisque magis'. Lachmannus,  
quum hae lectiones nullum praeberent sensum, coniecit: 'si fit, obestque magis'; sed quid  
sibi velit haec coniectura, equidem non intellego. Melius sane est id, quod in editione quadam  
inveni: 'taedet obestque magis'; facile enim librarii verbum taedet, quum iterandum esset,  
omittere poterant Dummodo quae sequuntur: 'ut mihi' ita construi possent, ut quid sibi vellet  
verbum obest facilius esset ad intelligendum. Itaque Theodorus Bergius Datanum respiciens  
coniecit: 'stat magis atque magis' id quod hoc modo interpretatur: 'in temporum decursu  
magis magisque id mihi persuasum habeo'. Huic coniecturae, quamvis elegans sit, id opposuerim,  
quod verbum 'stare' de consiliis potius quam de sententiis usurpari videtur et quod illud 'ma-  
gisque magis' adeo languida reddit poetae verba, ut versus tantum explendi causa addita esse  
facile cognoscatur. Evidem coniecerim:

Immo etiam taedet, sitque magisterio

Id mihi seqq.

Haec si esset poetae sententia, facile corruptelae originem videre liceret; nam postquam finis  
pentametri mutilus esse coepit, a librariis, quid esset magisterium, ignorantibus addi iam poterat:  
atque magis'.